

1.4.10

*Idem AA. Caeciliano pp.*

Mathematicos, si non parati sint codicibus erroris proprii sub oculis episcoporum incendio concrematis catholicae religionis cultui fidem tradere numquam ad errorem praeteritum redituri, non solum urbe Roma, sed si hoc non fecerint et contra clementiae nostrae salubre constitutum in civitatibus fuerint comprehensi vel secreta erroris sui et professionis insinuaverint, deportationis poenam excipiant.

*D. k. Febr. Ravenna Honorio VIII et Theodosio III AA. consss. [a. 409]*

1.4.11

*Idem AA. Theodoro pp.*

Christianos proximorum locorum volumus sollicitudinem gerere, ut Romanos captivos qui reversi fuerint nemo teneat, nemo iniuriis aut damnis adficiat.

*D. III id. k. Ravenna Honorio VIII et Theodosio III AA. consss.. [a. 409]*

1.4.12

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio pp.*

Si lenones patres vel domini suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint, liceat filiabus vel ancillis episcoporum implorato suffragio omni miseriarum necessitate absolvi.

*D. XI k. Mai. Felice et Tauro consss. [a. 428]*

1.4.13

*Imp. Marcianus A. Constantino pp.*

Decernimus, ut, quicumque catholicarum ecclesiarum, quae sub viro religiosissimo archiepiscopo huius almae urbis sunt, reverentissimum oeconomum sive de ecclesiasticis sive de propriis et ad ipsum solum pertinentibus causis vel quemcumque alterum earundem ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum archiepiscopum causam dicat in negotiis audiendis fidem ac sinceritatem geminam praebiturum et sacerdotis et iudicis.

1 ¶ Volentibus tamen actoribus pateat episcopale iudicium: ac nullus, qui huiusmodi intendit in sacrosanctas ecclesias vel praedictos clericos actionem, ad religiosissimum antistitem cognitorem ducatur invitus.

*D. VIII ... April. Varane et Iohanne consss. [a. 456]*